

Universitätsbibliothek Wuppertal

Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Lyconis philosophi fragmentum cum annotatione Davidis Ruhnkenii

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1660](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1660)

GRAEC.
herum sibi pens
met ipse sensu re
ano, quid eret
ectorum ratione
visionem homin
aperirent. — d

LYCONIS PHILOSOPHI
FRAGMENTUM

CUM ANNOTATIONE

DAVIDIS RUHNKENII.

EX EDITIONE

RUTILII LUPI, II. 7. p. 99 — 112.

VII. **C**HARACTERISMOS. Quemadmodum pictor
coloribus figuras describit, sic orator hoc schemate
aut vitia, aut virtutes eorum, de quibus loquitur,
deformat. LYCONIS: *Quid in hoc arbitrer bonae
spei*

LYCONIS J Sic scripsimus ex Edit. Aldina, ut recentiores
etiam Editores, praecedente R. Stephano, fecerunt. Reliqui
libri scripti editique, *Lyconi*. Lyconem oratorem vocat H.
Stephanus in Francoford. Nundin. p. 106. Ego vero nul-
lum usquam hujus nominis oratorem commemoratum inveni.
Nec convenit orationi tam longa ebrii descriptio. Quid
igitur? Non orator est Lyco, sed philosophus Peripateti-
cus, cujus vitam enarravit Diogenes Laërt. V. 65. quo-
cum jungendi Antigonus Carystius apud Athen. XII. p. 547.
D. et Themist. Or. XXI. p. 255. B. Ex hoc disertissimo
Characterismo conjecturam facias, Lyconem, Theophrasti
exemplo, *Notationes morum* scripsisse: quanquam nulla hu-
jus libri mentio apud veteres reperitur. Certius colligitur e
Cicerone Tusc. Disp. III. 32. et Clemente Alexandr. Strom.

spei reliquum residere, qui omne vitae tempus una,
ac

II. p. 497. eum de *Finibus boni et mali* scripsisse. Librum de *Natura animalium* laudat Apulejus Apol. p. 42. Eloquētiā Lyconis praedicat Cicero de *Finib.* V. 5. ejus tanta dulcedo fuit, ut inde *Glycon* appellatus sit pro *Lycone*. Vide Diogen. I. c. *Glyconis* nomine non solum ab Horatio I. Ep. I. 30. et Plutarcho de *Exil.* p. 605. A. laudantur, ut Interpretes ad Diogen. docent, sed etiam in Dictis philosophorum ab Arsenio collectis: Γλύκων δ σοφός — τὴν παιδείαν ἔλεγεν ἱερὸν ἔσυλον, ubi tamen similis Dictorum Collectio MS. quae est in Bibl. Leidensi, habet Λύκων. A Clemente Alexandr. I. c. non Λύκων dicitur, sed Λύκος, quod in errorem induxit Jonsium de *Script. Hist. philos.* IV. p. 340. et Fabricium *Bibl. Gr. Vol. II.* p. 305. Λύκος, Λύκος, Λύκων idem nomen est, nec nisi forma differt. De qua nominum permutatione exquisita eruditione disputat immortalis Hemsterhusius ad Aristophan. *Plut.* p. 206. Ab hoc Lycone Troadensi diversus est Lyco Jasensis, qui de *vita Pythagorae* scripsit. Is etiam ab Athenaeo II. p. 47. A. X. p. 418. F. promiscue Λύκων et Λύκος vocatur. Apud eundem H. p. 69. E. pro Ἰβνός δ' ὁ Πυθαγόρειος Cl. Valckenarius verissime scripsit Λύκος δ' ὁ Π. Plura de hoc Lycone Jonsius I. c. p. 337.

Quid in hoc arbitrer bonae spei reliquum residere] Rutilius more suo Ciceronem imitatur post red. in Senat. 5. *Quis enim ullam ullius boni spem haberet in eo, cujus primum tempus aetatis palam fuisset ad omnium libidines divulgatum?* Reliquum et residere jungit optimorum scriptorum exemplo. *Liv. X.* 16. *Unam sibi spem reliquam in Hetruscis restare.* ubi vidē Drakenborch. *Petron.* cap. 109. *ne residua in animis etiam post jusjurandum ira remaneret.* Locutionem spes reliqua illustrat Drakenborch. ad *Liv. IV.* 27. *Qui omne vitae tempus una, ac desperatissima consuetudi-*

ac desperatissima consuetudine producit? Nam simul
atque ex prioris diei nimia cibi ac vini satietate, vix
meridiano tempore, plenus crapula est expectatus,
pri-

ne producit] Producit MSS. et Editiones veteres omnes,
quod jure placet Barthio Advers. LV. 1. ubi Lyconis Cha-
racterismus justo commentario explicatur. *Produxit* sine ulla
necessitate invexit R. Stephanus, et alii post eum tenuerunt,
Ducere et producere tempus proprie dicuntur genio indulgen-
tes. Vide Broukhus, ad Propert. I. 3. 39. et Burmann, ad
Valer. Flacc. I. 251.

Nam simul atque ex prioris diei nimia cibi ac vini satie-
tate etc.] Omnes libri antiqui: *Nam simul atque ex prio-
ribus diei nimia cibi ac vini satietate* etc. Corruptam levi-
ter scripturam foedius depravavit R. Stephanus: *Nam simul
atque ex primis horis diei nimia cibi ac vini satietate* etc.
Stephanianam conjecturam haecenus securus est Pithoeus, ut
horis adscisceret, retineret prioribus ex libris antiquis. Unde
haec exstitit lectio: *Nam simul atque ex prioribus horis
diei nimia cibi ac vini satietate* etc. Pithoei vestigiis insi-
stens Barthius 1. c. legendum coniecit: *Nam simul atque
sex prioribus horis diei nimia cibi ac vini satietate* etc.
Sed taedet commentitia et absurda referre. Sequendi potius
veteres libri, qui nos quasi manu ducunt ad verissimam le-
ctionem: *Nam simul atque ex prioris diei nimia cibi ac
vini satietate* etc. quo modo se etiam restituisse, mihi scrip-
sit vir pari doctrina et humanitate, Jac. Frid. Heusingerus,
Apposite Sueton. Calig. 58. *cunctatus, an ad prandium
surgeret, marcenente adhuc stomacho pridiani cibi onere.* Pli-
nius Paneg. 63. *Non alii marcelli somno, hesternaque coena
redundantes, comitiorum suorum nuntios opperiebantur?*

Vix meridiano] Sic de conjectura R. Stephanus, Libri
veteres: *via meridiano,*

primum oculis mero madidis, humore obcoecatis,

vi-

Plenus crapula] Liv. XXXIII. 48. *ceteri sopiti cum postero die tandem ex somno pleni crapulae surrexissent.*

Oculis mero madidis] Mox Rutilius: *oculi vinum lacrimantes.* Lucret. III. 478. in simili ebrii descriptione:

— — — *tardescit lingua? madet mens?*

Nant oculi?

Lucretium imitatus Ovidius Fast. VI. 673.

et vinis oculique animique natabant.

Immo Apulejus Apol. p. 68. *madentes oculos* ebrius tribuit, ut Rutilius, cujus locum comparavit Pricaeus. Etsi vero *oculi mero madidi* rectissime dicantur, sitque verbo *madere* propria in ebrietate sedes, ut multis exemplis demonstrant Lindenbrog. ad Ammian, Marcell. XV. 3. p. 77. Heinsius Advers. I. 10. et Drakenborch. ad Sil. Ital. XII. 18, tamen, cum id satis exprimat verbis *humore obcoecatis*, suspicio mihi oborta est, forte scribendum esse: *oculis mero marcidis*, id est, ut Seneca Ep. 121. dicit, *oculis hesternis gravibus crapula.* *Marcere* saepe dicuntur oculi vino, vel alia causa languentes. Seneca Agam. 790.

jam recipit diem

Marcente visu,

Apulej. Met. X. p. 210. *pallor deformis, marcentes oculi, lapsae genae.* *Putres oculos* apud Horat. I. Carm. 36. 17. Scholiastes explicat *nimio potu marcentes et libidine resolutos*; quos sic expressit Apulej. Met. III. p. 52. *oculos Fotidis meae udos ac tremulos et prona libidine marcidos.* *Marcidos oculos* eleganter etiam describit Seneca Suasor. VI. p. 38. *Ipse vino et somno marcidus deficientes oculos ad capita proscriptorum levat.* Vocem *marcidus*, quam Rutilio restitimus, in transcurso eximamus Anthol. Lat. III. 29. p. 447.

Sig.

Visco gravidis, lucem constanter intueri non potest.
deina

*Statuamque amici floribus, violis, rosis,
 Folioque multo, atque unguento marcido
 Onerate amantes, et merum profundite.*

Reponè:

— *atque unguento nardino.*

Auson. Epitaph. 36.

*Sparge mero cineres, bene olentis et unguine nardi,
 Hospes, et adde rosis balsama puniceis.*

Vide Heinsium ad Ovid. Ep. XV. 76. *Vinum marcidum* in deliciis erat, *unguentum marcidum* non item. Statius Silv. I. 6. 33.

Illi marcida vina largiuntur.

et Silv. IV. 6. 56.

— *tenet haec marcentia fratris*

Pocula.

Quorum locorum alteto vir ingeniosissimus, Jer. Marklandus corripbat, *Massica vina*, altero explicabat, *pocula marcentis Bacchi, qui marcidus dicitur*. Emendatione nihil opus est: explicatio dura meo sensu. Vere N. Heinsius ad Claudian. in Eutrop. I. 110. *marcida vina* explicat vetusta, languida. Sed ille vel non vidit, vel, si vidit, monere neglexit, loquendi rationem ductam esse e Graeco *δίνος σαπρὸς*, de quo erudite disputat Piersonus quondam meus ad Moerid. Atticist. p. 353. Athenaeus I. p. 31. Α. Φησὶ δὲ καὶ ΦΙΛΙΝΟΣ ὅτι παρέξω Λέσβιον, Χῖον, Πικρὸν Ἰθάσιον, Βίβλινον, Μενδαῖον, κ. λ. In Epitome MS. quam Parisiis in Bibl. Regia contulimus, planissime scribitur: Φησὶ δὲ καὶ ΦΙΛΙΝΟΣ ὅτι παρέξω Λέσβιον, Χῖον, σαπρὸν Ἰθάσιον, Βίβλινον, Μενδαῖον, κ. λ. Σαπρὸν Ἰθάσιον etiam in Codice Romano inventum docet Casaubonus. Sed praeterea legendum:

Φη-

deinde confectis viribus, utpote cujus venae non sanguine, sed vino sunt repletæ, se ipse erigere non valet!

Φησὶ δὲ καὶ ΦΙΛΥΛΛΙΟΣ (*): Sentio, me adversus legem, quam mihi in his annotationibus scribendis dixi, latius evagatum esse. Sed cum omnia, quae afferuntur, ad eandem vocem *marcidus* illustrandam pertineant, non poenitet me hanc digressionem fecisse.

Humore obcoectatis] Clemens Alexandr. Paedag. II. p. 180. ὀφθαλμοὶ δὲ παρατρέπονται, οἷον κολυμβώσης τῆς ὕψους ἐπὶ τοῦ πλήθους τῆς ὑγρότητος. Basil. Or. de Ebriet. p. 88. ὀφθαλμοὶ διύγροι.

Visco gravidis] Vulgo: *visu gravidis*. Casauboni conjecturam *vino gravidis*, οἰνοβαρέσι, probat Vossius Orat. Instit. V. 9. p. 261. Sed hoc jam dictum in praecedentibus, si ve legas *oculis mero madidis*, sive *oculis mero marcidis*. Hemsterhusius noster ad Lucian. Dial. Sel. p. 30. conjiciebat *visu gravibus*. Sed vera lectio est *visco gravidis*, quam, ante Gesnerum, etiam Barthius l. c. conjectura assecutus erat. *Viscum* vocat humorem glutinosum, quo pleni esse solent ebriorum mane surgentium oculi. Quod vitium etiam *glama* et *gramia* dicitur e Dorico γλάμα, cujus tussitior scriptura λήμη et γλήμη. Vide Festum v. *Gramiae*, Non. Marcell. p. 119. et Foësius Oecon. Hippocr. v. Γλαμμυροὶ ὀφθαλμοί.

Utpote cujus venae non sanguine, sed vino sunt repletæ] Loquitur ex vulgi opinione, existimantis, cibum, potumque venis recipi. Virgil. Ecl. VI. 25.

Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.
Liv. XXVI. 14. *Impletæ cibus vinoque venas.* Phaedr. IV. 14. 9.

Ubi

[(*) De quo pluribus agitur ad Timaeum, p. 167. ed. ak.]

let: tandem duobus innixus, languidus, qui cubanda sit defatigatus, tunicatus, sine pallio, soleatus prae lectulo, palliolo frigus a capite defendens, flexa cer-

vi-

Ubi irrigatus multo venas nectare.

tibi vide Rigaltium, a quo Rutilii locus non est praetermissus. Arnob. V. p. 158. *immoderatus pottonem hiantibus venis rapit.* Adde R. Bentlejum ad Horat. II. Serm. 3. 154.

Soleatus prae lectulo] Fortean, *ut e lectulo.* κρηπίδας ἔχων ὡς ἀπὸ τοῦ κλιυδίου. Sed videtur qui Lyconis locum e Graeco vertit, reperisse in suo codice ὑπὸ pro ἀπὸ, neque de menda esse suspicatus. Haec Casaubonus. Barthius l. c. scribendum censet: *soleatus super lectulo.* Neutra conjectura placet. Nec tamen ipse probabiliorem asserre possum. Ebriosus vino languidus, Graeco more *soleatus* erat. Philostratus Ep. 22. Βλαυτία, καὶ σανδάλια, καὶ κρηπίδες, καὶ πέδιλα, νοσοῦντων ἐστὶ Φορήματα.

Palliolo frigus a capite defendens] Suspiciatur Casaub. fortasse *pileolo* scribendum. *πιλίδιον* ἐν τῇ κεφαλῇ ἔχων πρὸς τὸ ψύχος. Aegrotos et molles caput pileo muniisse, satis constat. Plato Polit. III. p. 440. E. εἰδὼν δὲ τις αὐτῷ (καμνοντι) μακρὰν δίαιταν προστάττη, *πιλίδια* τε περὶ τὴν κεφαλὴν περιτίθει, καὶ τὰ τούτοις ἐπέμμενα. Plutarch. adv. Colot. p. 1127. B. τί οὐ *πιλίδιον* ἔχων οἴκοι κάθειτο, δηλαδὴ περὶ τὴν τῆς γαστρὸς ἐπιμέλειαν ὕλως καθεστώς; Salmasius etiam ad Vopisc. Aurelian. 45. et ad Tertullian. de Pall. p. 308. Lyconem scripsisse putat *πιλίδιον*. Sed, quod addit, Rutilium *πιλίδιον* recte vertisse *palliolum*, in errorem inductus est a futili et nullius fidei scriptore, Fulgentio Expos. serm. ant. p. 774. qui ex Numa Pompilio de Pontificalibus, si Dis placet, tradit, *tutulum dici pallium, quo sacerdotes caput tutabant.* Quanquam hic nulla

fraus

vice, summissis genibus, colore exsangui, protinus ex cubiculari lectulo excitatus, in triclinium trahitur.

Ibē

fraus impostoris esse videtur, sed culpa potius librariorum, pallium pro pileum scribentium. Omnino palliolo in Rutilio tenendum. Nam aegroti etiam pallio caput involvebant; quod Lipsius de Amphith. cap. 20. et Salmasius l. c. multis exemplis planum fecerunt. Ovid. Art. Amat. l. 733.

Arguat et macies animum: nec turpe putaris,

Palliolum nitidis imposuisse comis.

ubi vide N. Heinsium. Barchius quoque l. c. palliolum defendit allato Petron. cap. 32. palliolo coccineo adrasum incluserat caput.

Flexa cervice] MS. Laurent. B. *flexa cervice*. An scribendum *laxa cervice*? Persius III. 58. de ebrio:

Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta

Occitat hesternum, dissutis undique malis?

Sic *laxa cervice* in Stat. Theb. IV. 70. ex MS. legit Burmannus ad Claudian. in Eutrop. I. 110. Sed nihil mutandum. Philo Jud. de Ebriet. p. 377. καὶ βεβαρημένος τοῦς ἐφθαλμοῦς ἀπ' οἴνου, καὶ τὴν κεφαλὴν παραβάλλον, καὶ τὸν αὐχένα ἐγκάρσιον πλεσιάζων. ubi Th. Mangejus, ut saepe alibi, conjectura ἀκλάζων Graecismi inscitiam prodit. Corrigendum sine dubio *πλαγιάζων*.

Ex cubiculari lectulo excitatus] *Excitari* non vulgari elegancia dicitur, qui admonetur, ut surgat, et aliquo eat. Turpilius apud Donat. de Metr. Comic. p. 1326. *ut solent, me curae somno segregant, Forasque noctis excitant silentio.* Liv. IX. 8. *Haud sum ignarus, ignominiae, non honoris causa me primum excitatum, jussumque dicere.* Phaedr. IV. 24. 27.

Homo perturbatus excitat Simonidem.

ubi vide Interpretes. Petron. cap. 96. *a coena excitatus, a*

duo.

Ibi praesto sunt quotidiani pauci eodem studio excitati convivae. Hic vero princeps, paulum illud, reliquum quod habet, mentis ac sensus, poculis extrudere [ex ea]

duobus lecticariis in mediam rixam perfertur. ubi Burmanus hanc formulam confundit cum vulgari *excitare sopitum*. Vide Torrent. ad Sueton. Aug. 14. et Gronovium ad Senec. de Tranqu. cap. 14.

Ibi praesto sunt quotidiani pauci eodem studio excitati convivae] Hic locus non expers corruptelae. Nam satis multos affuisse, ex sequentibus apparet. Barthius l. c. legendum conjicit: *Ibi praesto sunt quotidiani porci, eodem studio excitati convivae*. Quam conjecturam referre est refellere. Forte, inserta negatione, scribendum: *Ibi praesto sunt quotidiani, nec pauci, eodem studio excitati convivae*.

Paulum illud, reliquum quod habet, mentis ac sensus] MSS. Laurent. A. B. Edd. Venet. et Rhenan. *paulum illud, reliquum quod habet, menti ac sensu*. Ed. Aldin. *paulum illud, reliquum quod habet, menti ac sensui*. Recte R. Stephanus edidit: *paulum illud, reliquum quod habet, mentis ac sensus*, quod Exc. Gronov. confirmant. Itaque post alios Editores recepimus.

Poculis extrudere ex ea festinat] Jure R. Stephanus voces *ex ea* delevit. Nam videntur a mala manu huc traductae. Perelegans verbum *extrudere*. Eratosthenes apud Stob. p. 163. de vino:

ἐκ δ' ἀνδρῶν πλὴν ἐπίθυξέ ψόν.
Extrudere festinat, bibendo provocat, lacessit] Nihil hac brevitate concinnius et fortius, ut bene judicat Barthius l. c. Sed omnem vim enervavit R. Stephani interpolatio: *extrudere festinat, et eos bibendo provocat, et lacessit*. quod, ut reliqua ejus commenta, recentiores Editores patienter tulerunt. Pro *provocat* MS. Laur. B. a prima manu habet *re-*

ea] *festinat, bibendo provocat, lacessit, sicut in proelio hostium quam plurimos superarat atque afflixerat,*

vocat. Quae verba etiam confunduntur apud Petron. cap. 23. *Refectum igitur est convivium, et rursus Quartilla ad bibendum revocavit.* Emenda: *ad bibendum provocavit.* *Provocare* in bibendi certamine domicilium habet. Seneca Ep. 95. *non minus potant, et oleo et mero viros provocant.* Volpisc. Firmo 4. *Nam quidam Burburus nomine, de numero vexillariorum, notissimus potator, cum ad bibendum eundem provocasset.* Par est proprietas in verbo *lacessere.* Valer. Flacc. V. 572.

Et juxta Aesonidem magno cratere lacessit. ubi P. Burmanno, verbum *lacessere* explicanti, non ad manum erat appositus Rutilli locus. *Poscere* etiam simili significatione dicitur. Cicero Verr. I. 26. *hortatur hospes: poscunt majoribus poculis.* ubi Asconitius, Non. Marcell. p. 374. et Serv. ad Aen. VIII. 614. *poscunt bene interpretantur provocant.*

Sicut in hostium proelio quam plurimos superarat atque afflixerat] Haec est lectio MS. Laurent. A. quam magno consensu confirmant MS. Laurent. B. et veteres Editiones omnes, nisi quod pro *afflixerat* praeferunt *affixerat*, sollemnium horum verborum permutatione. At R. Stephanus forte interpolavit omnia: *perinde ac si in hostium proelio quam plurimos superavit atque afflixerit.* Primum temere. et inscite pro *sicut* scripsit *perinde ac si.* Nam *sicut* idem significat. Sallust. Catil. 31. *Postremo dissimulandi causa, atque sui expurgandi, sicut jurgio lacessitus foret, in senatum venit.* ubi illam notionem illustrat Cortius. Deinde *superarat atque afflixerat* perperam mutavit in *superavit atque afflixerit.* Nam centies Grammatici docuerunt, plusquamperfecti indicativum modum pro ejusdem subjunctivo poni.

Liv.

amplissimam sibi victoriam partam existimans. Inter-

Liv. XLI. 24. *Divinat etiam, quae futura fuerant, si Philippus vicisset. ubi vide Drakenborchium. Lactant. Epit. 54. incredibili alacritate insolenter exultant, et, quasi hostem sub jugum miserant, gaudent, ut vulgatum miserint bene emendat Davisius. Adde Schwarzium et alios ad Plin. Paneg. 8. Sic antiquorum librorum scripturam satis vindicasse videmur. Sed quid faciamus verbis in hostium proelio, quae inepta esse, tardus sit, qui non sentiat? Barthius l. c. hanc conjecturam in medium profert: sicut in hostico, uti proelio quam plurimos superaret atque affligeret, amplissimam sibi victoriam paratam existimans. Quae correctio deterior est lectione depravata. Nos, una voce transposita, locum sic restituimus: sicut in proelio hostium quam plurimos superarat atque afflixerat. Vides, hostium non ad proelio, sed ad quam plurimos referri. Hoc transpositionis remedium lenissimum est, et saepe magnis difficultatibus medetur. Cicero Parad. IV. 1. Sipientis animus magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemtionem fortunae, virtutibus denique omnibus, ut moenibus septus, vincetur? Transpone: Sipientis animus magnitudine consilii, contemtionem rerum humanarum, tolerantiam fortunae, virtutibus denique omnibus, ut moenibus septus, vincetur? Nam semper Cicero dicit, res humanas contemere, tolerare fortunam. Vide de Orat. II. 84. de Offic. I. 4. 18. 20. 21. et Bentlejum ad Tusc. Disp. IV. 28. Eadem medicina facienda Ciceroni de Offic. II. 13. et, qua aetate qui exercentur laude affici solent, ut de Demosthene accepimus, ea aetate L. Crassus ostendit, id se in foro optime jam facere. Ineptum est, Crassum cum Demosthene comparare, quod, sicut Demosthenes, in adolescentia declamavit. Neque enim Demosthenes solus, sed ut quisque in luce maxime excellere voluit, ita adolescens maxime se exercuit in umbra. Quid igitur? Crassus*

terea procedit simul et illud tempus et potatio, ocu-

li

cum Demosthene comparatur, quod eadem, qua Demosthene-
nes, aetate eloquentiam protulit in forum. Nam Crassus Car-
bonem accusavit anno aetatis XIX. vel XXI. Demosthenes tu-
tores suos anno XVIII. Ex his satis patet, turbatum verbo-
rum ordinem ita restituendum esse: *et, qua aetate qui exercen-
tur laude affici solent, ea aetate, ut de Demosthene accepimus,
L. Crassus ostendit, id se in foro optime jam facere.* Hac
etiam ratione expediri potest insignis locus Livii XXVI. 41.
*ut quemadmodum nunc noscitis in me patris patrique si-
militudinem oris vultusque, et lineamenta corporis; ita inge-
nii, fidei, virtutisque exemplum expressam ad effigiem vobis
reddam.* Haec non uno modo sanare tentavit C. A. Duke-
rus, vir magnus inprimis. Ego praepositione *ad* in sedem
suam revocanda, quae subobscura erant, luce clariora reddo.
Lege: *ut, quemadmodum nunc noscitis in me patris pa-
trique similitudinem oris vultusque, et lineamenta corporis;
ita ingenii, fidei, virtutisque ad exemplum expressam effi-
giem vobis reddam.* Exemplum rariore et exquisitiore signi-
ficatione dicitur exemplar, archetypum, ad quod exprimitur
effigies. Plaut. Poenul. V. 4. 103. *Nam alios pictores nihil
moror hujusmodi tractare exempla.* Cicero de Invent. II. 1.
*ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas trans-
feratur.* de Offic. III. 17. *Sed nos veri juris germanaeque
justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus: um-
bra et imaginibus utimur: eas ipsas utinam sequeremur!*
feruntur enim ex optimis naturae et veritatis exemplis.
quem locum, nemini Interpretum intellectum, unus recte
explicuit is, cui in Latinis literis primae deferuntur, J. A.
Ernestus Clav. Cicer. v. *Exemplum.* Multo frequentius haec
notione dicitur *exemplar.* Plinius V. Ep. 15. eadem, qua
Livius, verborum constructione: *Cornuto autem quid in*

om.

si vinum lacrimantes caligant, ebriosum ipsi vix ebrii

CO-

omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius? De voce *exemplum* ita disputat Gesnerus in Thesouro L. L. ut, si omnia ad eum modum tractata essent, nihil perfectius in hoc genere haberemus. Sed finem facio annotationis nimis longae, et alias aliis scriptoribus adhibendas transpositiones commodiori loco reservo.

Amplissimam sibi victoriam paratam existimans] *Parata victoria* est facilis, quae nullo labore constet. Qui sensus cum ab hoc loco alienus sit, legendum: *amplissimam sibi victoriam partam existimans*. Contrario errore in Livio V. 6. *parta victoria* legebatur, ubi *parata victoria* restituit Drakenborchius, quem vide. De victoriis in vino, hoc etiam loco laudato, disputat Savaro ad Sidon. Apoll. V. 7. Adde elegantem locum Panyasis apud Stob. p. 164.

Interea procedit simul et illud tempus et potatio] Barthius l. c. corrigere tentat: *Interea procedit et ille et tempus et potatio*. Quod ineptum, nec refutatione dignum. Longe aliud quid latet in verbis *simul et illud tempus*. Sed nihil hic divinare possum. Pro *potio*, quod omnes libri antiqui habent, cum Stephano scripsi *potatio*. Quae voces persaepe commutantur, ut in Ciceronis fragmento apud Aquilam Roman. p. 16. ubi idem Stephanus recte dedit *potatio*. Sulpic. Sever. Ep. 4. p. 594. *qui revera caput, quod est domicilium sanitatis, usu longae potionis invertorat*. Scribe *potationis*.

Oculi vinum lacrimantes] Pari venustate Ovidius Amor. I. 8. III.

Quin albam raramque comam, lacrimosaque vino

Lumina, rugosas distraherentque genas.

ubi miror, Heinsium hunc aptissimum locum praetermississe, praesertim cum ad Met. VI. 312, eodem uteretur ad con-

cognoscunt. *Alius sine causa jurgio proximum lae-*
sit; alius somno deditus, vi cogitur vigilare: alius
rixari parat; alium turbas vitantem, ac domum re-
verti cupientem retinet janitor, pulsat, exire prohi-
bet,

structionem verbi *lacrimare* cum quarto casu illustrandam. Eadem translatione arbores, quae succum guttatim stillant, *lacrimare* dicuntur. Nihil frequentius apud Plinium in Historia Naturali, qui etiam *ploratus* dixit pro *lacrima* XII. 25. *Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiae, sed tenui gutta, ploratu lanis parva colligitur in cornua.* Quem locum Heinsius ad Ovid. Met. l. c. ita legit et distinguit: *sed tenuis guttae ploratu lanis parva colligitur in cornua.* Verum, sublata voce *gutta*, quae est explanatio vocis *ploratu*, sic interpungendum: *Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiae, sed tenui ploratu. Lanis parva colligitur in cornua.*

Alius somno deditus] MS. Laurent. A. et Ed. Venet. *aliud somno deditus.* Ed. Rhen. *somnio pro somno.*

Alius somno deditus, vi cogitur vigilare] Respicit, ni fallor, morem combibonum Graecorum, qui, quos somnus in nocturna comotatione oppressisset, effusis in caput pridianae coenae reliquiis, vel vini cratere excitabant. Vide Suidam et Etymologum M. v. Ἐωλοκρασία, et elegantissimum Piersonum ad Moerid. Atticist. p. 219.

Retinet [janitor, pulsat] Barthius l. c. vix sibi persuadens, janitori, servorum vilissimo, licuisse liberum hominem pulsare, legere malit: *retinet janitor, pulsatur.* Sed hanc conjecturam auctori suo relinquimus.

Exire prohibet domum, interdictum demonstrans] Sic MS. Laurent. A. et Ed. Rhen. quod Stephanus, et recentiores Editores expresserunt. MS. Laurent. B. Edd. Venet. et Aldin.

bet, domini interdictum demonstrans. Item alium contumeliose extra januam ejectum, vacillantem puer sustentat, ac ducit pallium per lutum trahentem.

No-

exire prohibet, domum interdictam demonstrans. Acute et vere vir doctus in marg. Ed. Rhen. restituit: exire prohibet, domini interdictum demonstrans. Iidem calami ductus in domum et domini. Itaque hanc emendationem, in tanta perspicuitate et necessitate, in textum recipere non dubitavi. Apposite Petron. cap. 28. Sequimur nos jam admiratione saturi, et cum Agamemnone ad januam pervenimus, in cuius poste libellus erat, cum hac inscriptione fixus: Quisquis servus sine dominico jussu foras exierit, accipiet plagas centum.

Item alium] Sic MS. Laurent. B. Edd. Venet. et Aldin, quae vera lectio videtur, MS. Laurent. A. et Ed. Rhen. *Inter alium.* Sed in MS. manus secunda correxit: *Item alium.* Exc. Gronov. *Interim alium.* quod ex conjectura dedit Stephanus, et alii post eum servarunt.

Vacillantem puer sustentat] MSS. Laurent. A. B. Ed. Venet. *vacillanter.* *Vacillare* proprium et signatum verbum de ebriis. Glossae veteres: *Vacillantes*, κραιπάλωντες. Glossarium Latinum MS. *Bacillat* (pro *Vacillat*) *ex vino*, quae glossa fluxisse videtur ex Ciceronis fragmento apud Quintilian, VIII. 3. p. 382, et Aquilam Roman. de Figur, p. 16. *quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesternae potatione oscitantes.* Lucretius III. 475. in *luculenta*, et eum hac Lyconis comparanda, ebrii descriptione:

*Denique cur, hominem cum vini vis penetravit
Acris, et in venas discessit diditus ardor,
Consequitur gravitas membrorum? praepediuntur
Crura vacillanti? tardescit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, singultus, jurgia gliscunt?*

Novissime solus in triclinio relictus, non prius poculum ex manibus emittit, quam somnus oppressit bibentem, ac dissolutis artubus, ipsum poculum suapte natura dormienti excidit.

Frequens etiam hac in re verbum *titubare*, de quo copiose Drakenborch. ad Sil. Ital. VII. 200.

Dissolutis artubus] Hoc ita expressit Propert. IV. 8. 53.

Pocula mi digitos inter cecidere remissos.

Ipsum poculum suapta natura dormienti excidit] Ovidius Ep. XVI. 251.

Dum stupeo visis, (nam pocula forte tenebam)

Tortilis e digitis excidit ansa meis.

Libanius in descriptione ebrietatis, T. I. p. 175. D. καὶ ἤτε κύλιξ ἐπίπτε τῆς χειρός. Scribe ἐξέπιπτα.

— Ao. MDCCLXVIII.